

# **Saturaे**

Aulus Persius Flaccus

## PROLOGVS

Nec fonte labra proliu caballino  
nec in bicipiti somniasse Parnaso  
memini, ut repente sic poeta prodirem.  
Heliconidasque pallidamque Pirenē  
illis remitto quorum imagines lambunt 5  
hederae sequaces; ipse semipaganus  
ad sacra uatum carmen adfero nostrum.  
quis expediuuit psittaco suum 'chaere'  
picamque docuit nostra uerba conari?  
magister artis ingenique largitor 10  
uenter, negatas artifex sequi uoces.  
quod si dolosi spes refulserit nummi,  
coruos poetas et poetridas picas  
cantare credas Pegaseum nectar.

## SATVRA I

O curas hominum! o quantum est in rebus inane!  
' quis~~et~~get haec?' ~~in~~ tu istud ais? nemo hercule.' ~~nemo?~~  
uel duo uel nemo.' ~~tr~~pe et miserabile.' ~~q~~are?  
ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem  
praetulerint? nugae. non, si quid turbida Roma 5  
eleuet, accedas examenue inprobum in illa  
castiges trutina nec te quaesueris extra.  
nam Romae quis non-a, si fas dicere-sed fas  
tum cum ad canitem et nostrum istud uiuere triste  
aspxi ac nucibus facimus quaecumque relicts, 10  
cum sapimus patruos. tunc tunc-ignoscite (nolo,  
quid faciam?) sed sum petulanti splene-cachinno.  
scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,  
grande aliquid quod pulmo animae praelargus anhelet.  
scilicet haec populo pexusque togaque recenti 15  
et natalicia tandem cum sardonyche albus  
sede leges celsa, liquido cum plasmate guttur  
mobile conlueris, patranti fractus ocello.  
tunc neque more probo uideas nec uoce serena  
ingentis trepidare Titos, cum carmina lumbum 20  
intrant et tremulo scalpuntur ubi intima uersu.  
tun, uetule, auriculis alienis colligis escas,  
articulis quibus et dicas cute perditus 'ohe'?  
' quo didi~~ss~~se, nisi hoc fermentum et quae semel intus  
innata est rupto iecore exierit caprificus?' 25

en pallor seniumque! o mores, usque adeone  
scire tuum nihil est nisi te scire hoc sciat alter?  
'at pulchrum est digito monstrari et dicier "hic est."  
ten cirratorum centum dictata fuisse  
pro nihilo pendas?" ecce inter pocula quaerunt 30  
Romulidae saturi quid dia poemata narrent.  
hic aliquis, cui circum umeros hyacinthina laena est,  
rancidulum quiddam balba de nare locutus  
Phyllidas, Hypsipylas, uatum et plorable siquid,  
eliquat ac tenero subplantat uerba palato. 35  
adsensere uiri: nunc non cinis ille poetae  
felix? non leuior cippus nunc imprimit ossa?  
laudant conuiuae: nunc non e manibus illis,  
nunc non e tumulo fortunataque fauilla  
nascentur uiolae? ' ~~rids~~ ~~ai~~'et nimis uncis 40  
naribus indulges. an erit qui uelle recuset  
os populi meruisse et cedro digna locutus  
linquere nec scombros metuentia carmina nec tus?'  
    quisquis es, o modo quem ex aduerso dicere feci,  
non ego cum scribo, si forte quid aptius exit, 45  
quando haec rara ausis est, si quid tamen aptius exit,  
laudari metuam; neque enim mihi cornea fibra est.  
sed recti finemque extremumque esse recuso  
'euge' utum et ' ~~bile~~. nam 'belle' ~~ho~~ excute totum:  
quid non intus habet? non hic est Ilias Atti 50  
ebria ueratro? non siqua elegidia crudi  
dictarunt proceres? non quidquid denique lectis  
scribitur in citreis? calidum scis ponere sumen,  
scis comitem horridulum trita donare lacerna,  
et ' ~~erum~~ ' inquisalmo, uerum mihi dicite de me.' 55  
qui pote? uis dicam? nugaris, cum tibi, calue,  
pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.  
o Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit  
nec manus auriculas imitari mobilis albas  
nec linguae quantum sitiat canis Apula tantae. 60  
uos, o patricius sanguis, quos uiuere fas est  
occipiti caeco, posticae occurrite sannae.  
    ' quis populi ~~erimo~~ est? quis enim nisi carmina molli  
nunc demum numero fluere, ut per leue seueros  
effundat iunctura unguis? scit tendere uersum 65  
non secus ac si oculo rubricam derigat uno.  
siue opus in mores, in luxum, in prandia regum  
dicere, res grandes nostro dat Musa poetae.'  
ecce modo heroas sensus adferre docemus  
nugari solitos Graece, nec ponere lucum 70  
artifices nec rus saturum laudare, ubi corbes  
et focus et porci et fumosa Palilia feno,  
unde Remus sulcoque terens dentalia, Quinti,  
cum trepida ante boues dictatorem induit uxor

et tua aratra domum lictor tulit-euge poeta! 75  
'est nunc Brisaei quem uenosus liber Acci,  
sunt quos Pacuuiusque et uerrucosa moretur  
Antiopa aerumnis cor luctificabile fulta?"  
hos pueris monitus patres infundere lippos  
cum uideas, quaerisne unde haec sartago loquendi 80  
uenerit in linguis, unde istud dedecus in quo  
trossulus exultat tibi per subsellia leuis?  
nilne pudet capiti non posse pericula cano  
pellere quin tepidum hoc optes audire 'decenter' ?  
'fur es' **i** Pedio. Pedius quid? crimina rasis 85  
librat in antithetis, doctas posuisse figuras  
laudatur: ' **H**illum hoc.' **h** bellum? an, Romule, ceues?  
men moueat? quippe, et, cantet si naufragus, assem  
protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum  
ex umero portes? uerum nec nocte paratum 90  
plorabit qui me uolet incuruasse querella.  
' **s**e numeris decor est et iunctura addita crudis.  
cludere sic uersum didicit "Berecyntius Attis"  
et "qui caeruleum dirimebat Nerea delphin,"  
sic "costam longo subduximus Appennino." 95  
"Arma uirum", nonne hoc spumosum et cortice pingui  
ut ramale uetus uegrandi subere coctum?"  
quidnam igitur tenerum et laxa ceruice legendum?  
' **t**ria Mimalloneis inplerunt cornua bombis,  
et raptum uitulo caput ablatura superbo 100  
Bassaris et lyncem Maenas flexura corymbis  
euhion ingeminat, reparabilis adsonat echo.'  
haec fierent si testiculi uena ulla paterni  
uiueret in nobis? summa delumbre saliuia  
hoc natat in labris et in udo est Maenas et Attis 105  
nec pluteum caedit nec demorsos sapit unguis.  
' **s**e quid opus teneras mordaci radere uero  
auriculas? uide sis ne maiorum tibi forte  
limina frigescant: sonat hic de nare canina  
littera.' **p**r me equidem sint omnia protinus alba; 110  
nil moror. euge omnes, omnes bene, mirae eritis res.  
hoc iuuat? ' **h** inquis 'et*o* quisquam faxit oletum.'  
pinge duos anguis: ' **p**uti, sacer est locus, extra  
meiite.' discedo. secuit Lucilius urbem,  
te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis. 115  
omne uafer uitium ridenti Flaccus amico  
tangit et admissus circum praecordia ludit,  
callidus excusso populum suspendere naso.  
me muttire nefas? nec clam? nec cum scrobe? nusquam?  
hic tamen infodiam. uidi, uidi ipse, libelle: 120  
auriculas asini quis non habet? hoc ego opertum,  
hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi uendo  
Iliade. audaci quicumque adflate Cratino

iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,  
aspice et haec, si forte aliquid decoctius audis.      125  
inde uaporata lector mihi ferueat aure,  
non hic qui in crepidas Graiorum ludere gestit  
sordidus et lusco qui possit dicere 'lusce,'  
sese aliquem credens Italo quod honore supinus  
fregerit heminas Arreti aedilis iniquas,      130  
nec qui abaco numeros et secto in puluere metas  
scit risisse uafer, multum gaudere paratus  
si cynico barbam petulans nonaria uellat.  
his mane edictum, post prandia Callirhoen do.

## SATVRA II

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,  
qui tibi labentis apponet candidus annos.  
funde merum genio. non tu prece poscis emaci  
quae nisi seductis nequeas committere diuis;  
at bona pars procerum tacita libabit acerra.      5  
haut cuiuis promptum est murmurque humilisque susurros  
tollere de templis et aperto uiuere uoto.  
' *mens* bona, fama, fides' haec clare et ut audiat hospes;  
illa sibi introrsum et sub lingua murmurat: ' o si      10  
ebulliat patruus, praeclarum funus!' et o si  
sub rastro crepet argenti mihi seria dextro  
Hercule! pupillumue utinam, quem proximus heres  
inpello, expungam; nam et est scabiosus et acri  
bile tumet. Nerio iam tertia conditur uxor.'  
haec sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis      15  
mane caput bis terque et noctem flumine purgas.  
heus age, responde (minimum est quod scire laboro)  
de Ioue quid sentis? estne ut praeponere cures  
hunc-cuinam? cuinam? uis Staio? an-scilicet haeres?  
quis potior iudex puerisue quis aptior orbis?      20  
hoc igitur quo tu Louis aurem inpellere temptas  
dic agedum Staio. 'pro Iuppiter, o bone' *lamet*  
'Iuppiter!' *atese* non clamet Iuppiter ipse?  
ignouisse putas quia, cum tonat, ocius *ilex*  
sulpure discutitur sacro quam tuque domusque?      25  
an quia non fibris ouium Ergennaque iubente  
triste iaces lucis euitandumque bidental,  
idcirco stolidam praebet tibi uellere barbam  
Iuppiter? aut quidnam est qua tu mercede deorum  
emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis?      30  
  ecce auia aut metuens diuum matertera cunis  
exemit puerum frontemque atque uda labella  
infami digito et lustralibus ante saliuis

expiat, urentis oculos inhibere perita;  
tunc manibus quatit et spem macram supplice uoto      35  
nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedis:  
' hu~~o~~<sup>m</sup> optet generum rex et regina, puellae  
hunc rapiant; quidquid calcauerit hic, rosa fiat.'  
ast ego nutrici non mando uota. negato,  
Iuppiter, haec illi, quamuis te albata rogarit.      40  
    poscis opem neruis corpusque fidele senectae.  
estu age. sed grandes patinae tuccetaque crassa  
adnuere his superos uetuere Iouemque morantur.  
rem struere exoptas caeso boue Mercuriumque      45  
arcessis fibra: ' al fortunare Penatis,  
da pecus et gregibus fetum.' quo, p~~essime~~, pacto,  
tot tibi cum in flamma iunicum omenta liquecant?  
et tamen hic extis et opimo uincere fert  
intendit: 'iam crescit ager, iam crescit ouile,      50  
iam dabitur, iam iam' donec deceptus et exspes  
nequiquam fundo suspireret nummus in imo.  
    si tibi creterrás argenti incusaque pingui  
auro dona feram, sudes et pectore laeuo  
excutiat guttas laetari praetrepidum cor.      55  
hinc illud subiit, auro sacras quod ouato  
perducis facies. ' m~~an~~ fratres inter aenos,  
somnia pituita qui purgatissima mittunt,  
praincipui sunto sitque illis aurea barba.'  
aurum uasa Numae Saturniaque in pulit aera      60  
Vestalisque urnas et Tuscum fictile mutat.  
o curuae in terris animae et caelestium inanis,  
quid iuuat hoc, templis nostros inmittere mores  
et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?  
haec sibi corrupto casiam dissoluit oliuo,      65  
haec Calabrum coxit uitiato murice uellus,  
haec bacam conchae rasisse et stringere uenas  
feruentis massae crudo de puluere iussit.  
peccat et haec, peccat, uitio tamen utitur. at uos  
dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?      70  
nempe hoc quod Veneri donatae a uirgine pupae.  
quin damus id superis, de magna quod dare lance  
non possit magni Messalae lippa propago?  
compositum ius fasque animo sanctosque recessus  
mentis et incoctum generoso pectus honesto.      75  
haec cedo ut admoueam templis et farre litabo.

### SATVRA III

Nempe haec adsidue. iam clarum mane fenestras

intrat et angustas extendit lumine rimas.  
stertimus, indomitum quod despumare Falernum  
sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.  
'en quid agis? siccias insana canicula messes 5  
iam dudum coquit et patula pecus omne sub ulmo est'  
unus ait comitum. uerumne? itan? ociosus adsit  
huc aliquis. nemon? turgescit uitrea bilis:  
findor, ut Arcadiae pecuaria rudere credas.  
iam liber et positis bicolor membrana capillis 10  
inque manus chartae nodosaque uenit harundo.  
tum querimur crassus calamo quod pendeat umor.  
nigra sed infusa uanescit sepiam lympham,  
dilutas querimur geminet quod fistula guttas.  
o miser inque dies ultra miser, hucine rerum 15  
uenimus? a, cur non potius teneroque columbo  
et similis regum pueris pappare minutum  
poscis et iratus mammae lallare recusas?  
an tali studeam calamo? cui uerba? quid istas  
succinis ambages? tibi luditur. effluis amens, 20  
contemnere. sonat uitium percussa, maligne  
respondeat uiridi non cocta fidelia limo.  
udem et molle lutum es, nunc nunc properandus et acri  
fingendus sine fine rota. sed rure paterno  
est tibi far modicum, purum et sine labe salinum 25  
(quid metuas?) cultrixque foci secura patella.  
hoc satis? an deceat pulmonem rumpere uentis  
stemmate quod Tusco ramum millesime ducis  
censoremu tuum uel quod trabeate salutas?  
ad populum phaleras! ego te intus et in cute noui. 30  
non pudet ad morem discincti uiuere Nattae.  
sed stupet hic uitio et fibris increuit opimum  
pingue, caret culpa, nescit quid perdat, et alto  
demersus summa rursus non bullit in unda.  
magne pater diuum, saeuos punire tyrannos 35  
haut alia ratione uelis, cum dira libido  
mouerit ingenium feruenti tincta ueneno:  
uirtutem uideant intabescantque relicta.  
anne magis Siculi gemuerunt aera iuuenci  
et magis auratis pendens laquearibus ensis 40  
purpureas subter ceruices terruit, ' imus,  
imus praecipites' quam si sibi dicat et intus  
palleat infelix quod proxima nesciat uxori?  
saepe oculos, memini, tangebam parvus oliuo,  
grandia si nolle morituri uerba Catonis 45  
discere non sano multum laudanda magistro,  
quae pater adductis sudans audiret amicis.  
iure; etenim id summum, quid dexter senio ferret,  
scire erat in uoto, damnosa canicula quantum  
raderet, angustae collo non fallier orcae, 50

neu quis callidior buxum torquere flagello.  
haut tibi inexpertum curuos deprendere mores  
quaeque docet sapiens bracatis inlita Medis  
porticus, insomnis quibus et detonsa iuuentus  
inuigilat siliquis et grandi pasta polenta;        55  
et tibi quae Samios diduxit littera ramos  
surgentem dextro monstrauit limite callem.  
stertis adhuc laxumque caput conpage soluta  
oscitat hesternum dissutis undique malis.  
est aliquid quo tendis et in quod derigis arcum?        60  
an passim sequeris coruos testaque lutoque,  
securus quo pes ferat, atque ex tempore uiuis?  
elleborum frustra, cum iam cutis aegra tumebit,  
poscentis uideas; uenienti occurrite morbo,  
et quid opus Cratero magnos promittere montis?        65  
discite et, o miseri, causas cognoscite rerum:  
quid sumus et quidnam uicturi gignimur, ordo  
quis datus, aut metae qua mollis flexus et unde,  
quis modus argento, quid fas optare, quid asper  
utile nummus habet, patriae carisque propinquis        70  
quantum elargiri deceat, quem te deus esse  
iuussit et humana qua parte locatus es in re.  
disce nec inuideas quod multa fidelia putet  
in locuplete penu, defensis pinguis Vmbris,  
et piper et pernae, Marsi monumenta clientis,        75  
maenaque quod prima nondum defecerit orca.  
hic aliquis de gente hircosa centurionum  
dicat: ' quod spio satis est mihi. non ego curo  
esse quod Arcesillas aerumnosique Solones  
obstipo capite et figentes lumine terram,        80  
murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt  
atque exorrecto trutinantur uerba labello,  
aegroti ueteris meditantes somnia, gigni  
de nihilo nihilum, in nihilum nil posse reuerti.  
hoc est quod palles? cur quis non prandeat hoc est?'        85  
his populus ridet, multumque torosa iuuentus  
ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.  
' inspie, nescio quid trepidat mihi pectus et aegris  
faucibus exsuperat grauis halitus, inspice sodes'  
qui dicit medico, iussus requiescere, postquam        90  
tertia compositas uidit nox currere uenas,  
de maiore domo modice sitiente lagoena  
lenia loturo sibi Surrentina rogabit.  
' ~~tus~~ bone, tu palles.' 'nihil est.' ' ~~vid~~ tamen istuc,  
quidquid id est. surgit tacite tibi lutea pellis.'        95  
'at tu deterius palles, ne sis mihi tutor.  
iam pridem hunc sepeli; tu restas.' 'enge, tacebo.'  
turgidus hic epulis atque albo uentre lauatur,  
guttura sulphureas lente exhalante mefites.

sed tremor inter uina subit calidumque trientem        100  
excudit e manibus, dentes crepuere retecti,  
uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.  
hinc tuba, candelae, tandemque beatulus alto  
compositus lecto crassisque lutatus amomis  
in portam rigidas calces extendit. at illum        105  
hesterni capite induito subiere Quirites.

' ange, miser, uenas et pone in pectore dextram;  
nil calet hic. summosque pedes attinge manusque;  
non frigent.' uisa est si forte pecunia, siue  
candida uicini subrisit molle puella,        110  
cor tibi rite salit? positum est algente catino  
durum holus et populi cribro decussa farina:  
temptemus fauces; tenero latet ulcus in ore  
putre quod haut deceat plebeia radere beta.  
alges, cum excussit membris timor albus aristas;        115  
nunc face supposita feruescit sanguis et ira  
scintillant oculi, dicisque facisque quod ipse  
non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.

#### SATVRA IV

' R<sup>m</sup> populi tractas?' karbatum haec crede magistrum  
dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae)  
' quo f<sup>t</sup>utus? dic hoc, magni pupille Pericli.  
scilicet ingenium et rerum prudentia uelox  
ante pilos uenit, dicenda tacendaue calles.        5  
ergo ubi commota feruet plebecula bile,  
fert animus calidae fecisse silentia turbae  
maiestate manus. quid deinde loquere? "Quirites,  
hoc puta non iustum est, illud male, rectius illud."  
scis etenim iustum gemina suspendere lance        10  
ancipitis librae, rectum discernis ubi inter  
curua subit uel cum fallit pede regula uaro,  
et potis es nigrum uitio praefigere theta.  
quin tu igitur summa neququam pelle decorus  
ante diem blando caudam iactare popello        15  
desinis, Anticyras melior sorbere meracas?  
quae tibi summa boni est? uncta uixisse patella  
semper et adsiduo curata cuticula sole?  
expecta, haut aliud respondeat haec anus. i nunc,  
"Dinomaches ego sum" suffla, "sum candidus." esto,        20  
dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,  
cum bene discincto cantauerit ocima uernae.'  
ut nemo in sese temptat descendere, nemo,  
sed praecedenti spectatur mantica tergo!  
quaesieris 'nostin Vettidi praedia?' cuius?'        25

' dies arat Curibus quantum non miluus errat.'  
' hucais, hunc dis iratis genioque sinistro,  
qui, quandoque iugum pertusa ad compita figit,  
seriolae ueterem metuens deradere limum  
ingemit "hoc bene sit" tunicatum cum sale mordens        30  
cepe et farratam pueris plaudentibus ollam  
pannosam faecem morientis sorbet aceti?"  
at si unctus cesses et figas in cute solem,  
est prope te ignotus cubito qui tangat et acre  
despuat: ' himores! penemque arcanaque lumbi        35  
runcantem populo marcentis pandere uuldas.  
tum, cum maxillis balanatum gausape pectas,  
inguinibus quare detonsus gurgulio extat?  
quinque palaestritae licet haec plantaria uellant  
elixasque nates labefactent forcipe adunca,        40  
non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.'  
    caedimus inque uicem praebemus crura sagittis.  
uiuitur hoc pacto, sic nouimus. ilia subter  
caecum uulnus habes, sed lato balteus auro  
praetegit. ut mauis, da uerba et decipe neruos,        45  
si potes. ' gregium cum me uicinia dicat,  
non credam?' uiso spalles, inprobe, nummo,  
si facis in penem quidquid tibi uenit, amarum  
si puteal multa cautus uibice flagellas,  
neququam populo bibulas donaueris aures.        50  
respuer quod non es; tollat sua munera cerdo.  
tecum habita: noris quam sit tibi curta supellex.

## SATVRA V

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere uoces,  
centum ora et linguas optare in carmina centum,  
fabula seu maesto ponatur hianda tragoedo,  
uolnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.  
' quosum haec? aut quantas robusti carminis offas        5  
ingeris, ut par sit centeno gutture niti?  
grande locuturi nebulas Helicone legunto,  
si quibus aut Procnes aut si quibus olla Thyestae  
feruebit saepe insulso cenanda Glyconi.  
tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,        10  
folle premis uentos nec clauso murmure raucus  
nescio quid tecum graue cornicaris inepte  
nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.  
uerba togae sequeris iunctura callidus acri,  
ore teres modico, pallentis radere mores        15  
doctus et ingenuo culpam defigere ludo.

hinc trahe quae dicis mensasque relinque Mycenis  
cum capite et pedibus plebeiaque prandia noris.<sup>1</sup>  
non equidem hoc studeo, pullatis ut mihi nugis  
pagina turgescat dare pondus idonea fumo. 20  
secrete loquimur. tibi nunc hortante Camena  
excutienda damus praecordia, quantaque nostrae  
pars tua sit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,  
ostendisse iuuat. pulsa, dinoscere cautus  
quid solidum crepet et pictae tectoria linguae.  
hic ego centenas ausim deposcere fauces,  
ut quantum mihi te sinuoso in pectore fixi  
uoce traham pura, totumque hoc uerba resignent  
quod latet arcana non enarrabile fibra.

30  
cum primum pauido custos mihi purpura cessit  
bullaque subcinctis Laribus donata pependit,  
cum blandi comites totaque inpune Subura  
permisit sparsisse oculos iam candidus umbo,  
cumque iter ambiguum est et uitiae nescius error  
diducit trepidas ramosa in compita mentes, 35  
me tibi supposui. teneros tu suscipis annos  
Socratico, Cornute, sinu. tum fallere sollers  
adposita intortos extendit regula mores  
et premitur ratione animus uincipe laborat  
artificemque tuo dicit sub pollice uoltum. 40  
tecum etenim longos memini consumere soles  
et tecum primas epulis decerpere noctes.  
unum opus et requiem pariter disponimus ambo  
atque uercunda laxamus seria mensa.  
non equidem hoc dubites, amborum foedere certo  
consentire dies et ab uno sidere duci.  
nostra uel aequali suspendit tempora Libra  
Parca tenax ueri, seu nata fidelibus hora  
diuidit in Geminos concordia fata duorum  
Saturnumque grauem nostro Ioue frangimus una,  
nescio quod certe est quod me tibi temperat astrum. 50

mille hominum species et rerum discolor usus;  
uelle suum cuique est nec uoto uiuitur uno.  
mercibus hic Italis mutat sub sole recenti  
rugosum piper et pallentis grana cumini, 55  
hic satur inriguo mauult turgescere somno,  
hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille  
in uenerem putris; sed cum lapidosa cheragra  
fregerit articulos ueteris ramalia fagi,  
tunc crassos transisse dies lucemque palustrem  
et sibi iam seri uitam ingemuere relictam.  
at te nocturnis iuuat inpallescere chartis;  
cultor enim iuuenum purgatas inseris aures  
fruge Cleanthea. petite hinc, puerique senesque,  
finem animo certum miserisque uiatica canis. 65

'cras hoc fiet.' idem cras fiat. ' qui⁹ quasi magnum  
nempe diem donas!' sc̄cum lux altera uenit,  
iam cras hesternum consumpsimus; ecce aliud cras  
egerit hos annos et semper paulum erit ultra. 70  
nam quamuis prope te, quamuis temone sub uno  
uertentem sese frustra sectabere canthum,  
cum rota posterior curras et in axe secundo.  
libertate opus est. non hac, ut quisque Velina  
Publius emeruit, scabiosum tesserula far  
possidet. heu steriles ueri, quibus una Quiritem 75  
uertigo facit! hic Dama est non tresis agaso,  
uappa lippus et in tenui farragine mendax.  
uerterit hunc dominus, momento turbinis exit  
Marcus Dama. papae! Marco spondente recusas  
credere tu nummos? Marco sub iudice palles? 80  
Marcus dixit, ita est. adsigna, Marce, tabellas.  
haec mera libertas, hoc nobis pillea donant.  
'an quisquam est alius liber, nisi ducere uitam  
cui licet ut libuit? licet ut uolo uiuere, non sum  
liberior Bruto?' mendose colligis' inquit 85  
Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto,  
' h̄ relicum accipio, "licet" illud et "ut uolo" tolle.'  
' uindicta postquam meus a praetore recessi,  
cur mihi non liceat, iussit quodcumque uoluntas,  
excepto siquid Masuri rubrica uetabit? 90  
disce, sed ira cadat naso rugosaque sanna,  
dum ueteres auias tibi de pulmone reuello.  
non praetoris erat stultis dare tenuia rerum  
officia atque usum rapidae permittere uitiae;  
sambucam citius caloni aptaueris alto. 95  
stat contra ratio et secretam garrit in aurem,  
ne liceat facere id quod quis uitiat agendo.  
publica lex hominum naturaque continet hoc fas,  
ut teneat uetitos inscitia debilis actus.  
diluis elleborum, certo conpescere puncto 100  
nescius examen? uetat hoc natura medendi.  
nauem si poscat sibi peronatus arator  
luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse  
frontem de rebus. tibi recto uiuere talo  
ars dedit et ueris speciem dinoscere calles, 105  
ne qua subaerato mendosum tinniat auro?  
quaeque sequenda forent quaeque euitanda uicissim,  
illa prius creta, mox haec carbone notasti?  
es modicus uoti, presso lare, dulcis amicis?  
iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes, 110  
inque luto fixum possis transcendere nummum  
nec gluttu sorbere saliuam Mercuriale?  
' hec mea sunt, teneo' cum uere dixeris, esto  
liberque ac sapiens praetoribus ac Ioue dextro.

sin tu, cum fueris nostrae paulo ante farinae. 115  
pelliculam ueterem retines et fronte politus  
astutam uapido seruas in pectore uolpem,  
quae dederam supra relego funemque reduco.  
nil tibi concessit ratio; digitum exere, peccas,  
et quid tam paruum est? sed nullo ture litabis, 120  
haereat in stultis breuis ut semuncia recti.  
haec miscere nefas nec, cum sis cetera fossor,  
tris tantum ad numeros Satyrum moueare Bathylli.  
' *tier* ego.' unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?  
an dominum ignoras nisi quem uindicta relaxat? 125  
' i, per, et strigiles Crispini ad balnea defer'  
si increpuit, ' *essas* nugator?' ,*eruitum* acre  
te nihil inpellit nec quicquam extrinsecus intrat  
quod neruos agitet; sed si intus et in iecore aegro  
nascuntur domini, qui tu inpunitior exis 130  
atque hic quem ad strigilis scutica et metus egit erilis?  
mane piger stertis. ' *suge*' inquit Auaritia, ' ia  
surge.' negas. instat. ' *suge*' inquit'non queo.' 'surge.'  
'et quid agam?' rbgat! en saperdas aduehe Ponto,  
castoreum, stuppas, hebenum, tus, lubrica Coa. 135  
tolle recens primus piper et sitiente camelio.  
uerte aliquid; iura.' sed Iuppiter audiet.' eheu,  
baro, regustatum digito terebrare salinum  
contentus perages, si uiuere cum Ioue tendis.'  
iam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas. 140  
ocius ad nauem! nihil obstat quin trabe uasta  
Aegaeum rapias, ni sollers Luxuria ante  
seductum moneat: ' quo *ende*, insane, ruis, quo?  
quid tibi uis? calido sub pectore mascula bilis  
intumuit quam non extinxerit urna cicutae? 145  
tu mare transiliias? tibi torta cannabe fulto  
cena sit in transtro Veientanumque rubellum  
exhalet uapida laesum pice sessilis obba?  
quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto  
nutrieras, pergant auidos sudare deunces? 150  
indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est  
quod uiuus, cinis et manes et fabula fies,  
uiue memor leti, fugit hora, hoc quod loquor inde est.'  
en quid agis? dupli in diuersum scinderis hamo.  
huncine an hunc sequeris? subeas alternus oportet 155  
ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.  
nec tu, cum obstiteris semel instantique negaris  
parere imperio, 'rupi iam uincula' dias;  
nam et luctata canis nodum abripit, et tamen illi,  
cum fugit, a collo trahitur pars longa catenae. 160  
' Due, cito, hoc credas iubeo, finire dolores  
praeteritos meditor' (*audum* Chaerestratus unguem  
adrodens ait haec). 'an siccis dedecus obstem

cognatis? an rem patriam rumore sinistro  
limen ad obscenum frangam, dum Chrysidis udas      165  
ebrius ante fores extincta cum face canto?'  
'euge, puer, sapias, dis depellentibus agnam  
percute.' èdscensem plorabit, Daue, relicta?'  
' nuptiis. solea, puer, obiurgabere rubra,  
ne trepidare uelis atque artos rodere casses.      170  
nunc ferus et uiolens; at, si uocet, haut mora dicas  
"quidnam igitur faciam? nec nunc, cum arcessat et ultro  
supplicet, accedam?" si totus et integer illinc  
exieras, nec nunc.' hic hic quod quaerimus, hic est,  
non in festuca, lictor quam iactat ineptus.      175  
ius habet ille sui, palpo quem ducit hiantem  
cretata Ambitio? uigila et cicer ingere large  
rixanti populo, nostra ut Floralia possint  
aprisci meminisse senes. quid pulchrius? at cum  
Herodis uenere dies uncta que fenestra      180  
dispositae pinguem nebulam uomuere lucernae  
portantes uiolas rubrumque amplexa catinum  
cauda natat thynni, tumet alba fidelia uino,  
labra moues tacitus recutitaque sabbata palles.  
tum nigri lemures ouoque pericula rupto,      185  
tum grandes galli et cum sistro lusca sacerdos  
incussere deos inflantis corpora, si non  
praedictum ter mane caput gustaueris ali.  
dixeris haec inter uaricosos centuriones,  
continuo crassum ridet Pulfenius ingens      190  
et centum Graecos curto centusse licetur.

## SATVRA VI

Admouit iam bruma foco te, Basse, Sabino?  
iamne lyra et tetrico uiuunt tibi pectine chordae?  
mire opifex numeris ueterum primordia uocum  
atque marem strepitum fidis intendisse Latinae,  
mox iuuenes agitare iocos et pollice honesto      5  
egregius lusisse senex. mihi nunc Ligus ora  
intepet hibernatque meum mare, qua latus ingens  
dant scopuli et multa litus se ualle receptat.  
' Inai portum, est operae, cognoscite, ciues.'  
cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse      10  
Maeonides Quintus pauone ex Pythagoreo.  
hic ego securus uolgi et quid praeparet austera  
infelix pecori, securus et angulus ille  
uicini nostro quia pinguior, etsi adeo omnes  
ditescant orti peioribus, usque recusem      15  
curuuus ob id minui senio aut cenare sine uncto

et signum in uapida naso tetigisse lagoena.  
discrepet his alias. geminos, horoscope, uaro  
producis genio: solis natalibus est qui  
tinguat holus siccum muria uafer in calice empta,        20  
ipse sacrum inrorans patinae piper; hic bona dente  
grandia magnanimus peragit puer. utar ego, utar,  
nec rhombos ideo libertis ponere lautus  
nec tenuis sollers turdarum nosse saliuas.  
messe tenus propria uiue et granaria (fas est)        25  
emole. quid metuas? occa et seges altera in herba est.  
at uocat officium, trabe rupta Bruttia saxa  
prendit amicus inops remque omnem surdaque uota  
condidit Ionio, iacet ipse in litore et una  
ingentes de puppe dei iamque obuia mergis        30  
costa ratis lacerae; nunc et de caespite uiuo  
frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret  
caerulea in tabula. sed cenam funeris heres  
negleget iratus quod rem curtaueris; urnae  
ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum        35  
seu ceraso peccent casiae nescire paratus.  
' ~~tu~~ bona incolumis minuas?' eBestius urguet  
doctores Graios: ' ~~at~~ fit; postquam sapere urbi  
cum pipere et palmis uenit nostrum hoc maris expers,  
fenisecae crasso uitiarunt unguine pultes.'        40  
haec cinere ulterior metuas? at tu, meus heres  
quisquis eris, paulum a turba seductior audi.  
o bone, num ignoras? missa est a Caesare laurus  
insignem ob cladem Germanae pubis et aris  
frigidus excutitur cinis ac iam postibus arma,        45  
iam chlamydas regum, iam lutea gausapa captis  
essedaque ingentesque locat Caesonia Rhenos.  
dis igitur genioque ducis centum paria ob res  
egregie gestas induco. quis uetat? aude.  
uae, nisi coniues. oleum artocreasque popello        50  
largior. an prohibes? dic clare. ' non ~~deo~~ inquis  
'exossatus ager iuxta est.' ge, si mihi nulla  
iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis  
nulla manet patrui, sterilis matertera uixit  
deque auia nihilum superest, accedo Bouillas        55  
cliuumque ad Virbi, praesto est mihi Manius heres.  
' ~~p~~ogenies terrae?' ~~qu~~ere ex me quis mihi quartus  
sit pater: haut prompte, dicam tamen; adde etiam unum,  
unum etiam: terrae est iam filius et mihi ritu  
Manius hic generis prope maior auunculus exit.        60  
qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?  
sum tibi Mercurius; uenio deus huc ego ut ille  
pingitur. an renuis? uis tu gaudere relictis?  
' ~~est~~ aliquid summae.' minui mihi, ~~ed~~ tibi totum est  
quidquid id est. ubi sit, fuge quaerere, quod mihi quondam        65

legarat Tadius, neu dicta, ' po~~a~~ paterna,  
fenoris accedat merces, hinc exime sumptus,  
quid relicum est?' ~~dicum?~~ nunc nunc inpensius ungue,  
ungue, puer, caules. mihi festa luce coquatur  
urtica et fissa fumosum sinciput aure, 70  
ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,  
cum morosa uago singultiet inguine uena,  
patriciae inmeiat uoluae? mihi trama figurae  
sit reliqua, ast illi tremat omento popa uenter?

uende animam lucro, mercare atque excute sollers  
omne latus mundi, ne sit praestantior alter  
Cappadocas rigida pinguis plausisse catasta,  
rem duplica. 'feci; iam triplex, iam mihi quarto,  
iam decies redit in rugam. depunge ubi sistam,  
inuentus, Chrysippe, tui finitor acerui.' 80